



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XXIV. De Officio Archipresbyteri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63440)

jurisdictionem immediatè & directè ab Episcopo provenientem, ac ab ejus tribunali indistinctam obtinens.

## TITULUS XXIV.

### *De Officio Archipresbyteri.*

#### SUMMARIUM.

I. 2. *Quis sit Archipresbyter, & quod ejus officium.*

I **A**rchipresbyter, quasi primus ex presbyteris, alio nomine appellatur *Decanus*. *c. 7. de off. Archid.* item *Plebanus. c. 3. de offic. Jud. Ord.* De Jure Communi præest aliis presbyteris, & in iis, quæ sunt Sacerdotalis officii, imperat, ac jurisdictionem pro foro interne exercet, curatque ea, quæ pertinent ad Officium Divinum, Missarum solemnia, & Sacramentorum, præcipuè Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ administrationem. *c. 1. seqq. h. t.* In hoc Archipresbyteri officio iterum consuetudo plurimum immutavit, cum in quibusdam Ecclesiis nec nomen ejus extet amplius; in aliis extat quidem nomen, sed officium ab aliis exercetur, maximè ab eo, qui *Decanus* appellatur, præsertim quoad Officium Divinum, & ab alio, qui *Pœnitentiarius* dicitur, saltem quoad casus reservatos in sacro Pœnitentiæ tribunali; cum sacerdotes nunc valeant cuivis sacerdoti sua non reservata peccata confiteri. Unde, quid

## De Officio Archipresb. & Primicerii. 195

quid hodie possit Archipresbyter, non ex Jure Communi, sed ex specialibus Ecclesiarum statutis, & consuetudinibus desumendum est. Archipresbyter seu Decanus distinguitur duplex. *c. 3. 4. h. t.* scilicet *Civitatis*, seu *Urbanus*, qui in Urbe Episcopali præsit reliquis Ecclesiæ suæ presbyteris: & *Ruralis* seu *Forensis*, qui extra Urbem Episcopalem in plebe exercet curam animarum, & simul sub se habet alios presbyteros per certum districtum. De hoc

Dico. Officium Decani Ruralis indicatur. *c. 4. 2. tit. vi* ejus gerit curam presbyterorum sui districtus, tum ut illi rem Divinam ritè obeant & Sacramenta administrent, tum ut rixas, ebrietates, & alia scandala evitent. 2. Executioni mandat per se vel per alios decreta Episcopi. 3. Congregat Capitula. 4. Controversias inter Parochos & Clericos sibi commissos ortas disponit, at sine figurâ Judicii; nam negotia, quæ cognitionem & decisionem Judicialem requirunt, refert ad Episcopum vel Vicarium Generalem. Probabiliter tamen habet aliquam jurisdictionem, quasi *bassam*, sine jure gladii spiritualis. Pirhing *h. t. n. 11. 12.* non tamen propriè Dignitatem, ita ut possit esse Delegatus Sedis Apostolicæ, *gl. inc. fin. eod.*

## TITULUS XXV.

### *De Officio Primicerii.*

#### SUMMARIUM.

1. 2. *Quis sit Primicerius, & quod ejus officium.*

N 2

Præ